



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. III. An Deus possit comprehendi ab intellectu creato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ter DEUM abstractivè cognoscibilem, & potentiam creatam cognoscentem, non tamen (ut probavimus) datur inter DEUM intuitivè visibilem, & potentiam creatam. Hæc autem proportio longè alia est, quàm præcisè proportio in perfectione physica; nam licet e. g. sonus sit aliquid longè imperfectius, quàm oculus, tamen videri non potest. Unde nec physicè imperfectiori objecto semper proportionata est potentia physicè perfectior, nec semper perfectiori improporionata: debetque hæc proportio vel à communi experientia, aut persuasione, vel aliunde, unde unde demum, desumi.

191. Ad confir. neg. conf. Species etiam abstractivæ repræsentant DEUM ut immediatè in seipso amabilem, & amandum; aliàs in hac vita nunquam amaremus DEUM ipsum; sed tantum creaturas. At non reddunt eadem species DEUM immediatè cognoscibilem in se ipso; nam cognosci in se ipso objectum, non est tantum ipsum affirmare, vel intellectum in illud tanquam in suum terminum ultimum tendere, sed est cognoscere objectum ita, ut hoc vel per species proprias, vel per seipsum immediatè ad cognitionem concurrat. Ex quo etiam collige, cur summa amabilitas non impediatur amorem immediatum sui, secus quàm summa intelligibilitas immediatam sui visionem; quia scilicet potentia potest esse non tam perfecta, ut exigit species proprias, vel immediatum objecti concursum in ordine ad cognitionem: vel non tam perfecta, ut sit his speciebus, aut concursui proportionata: nil econtra apparet, cui non sit proportionata potentia ex iis, quæ requiruntur ad amorem DEI: unde ulterius infertur, omnem intuitivam visionem DEI esse supernaturalem, non autem omnem immediatum amorem DEI: quidquid sit de amore DEI super omnia vel efficaci, de quo in tractatu de Gratia.

ARTICULUS III.

An DEUS possit comprehendi ab intellectu creato.

192. **D**ico cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 7. in corp. & omnibus Theologis. DEUS non potest comprehendi comprehensione strictè dicta. Prob. ex eodem Angelico ibidem dicente: *illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur: perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile*: Sive cognitio comprehensiva est illa, quæ in ratione cognoscendi vel repræsentandi tam perfecta est, quàm perfectum est objectum in ratione cognoscibilis: atqui nulla cognitio creata potest esse tam perfecta in ratione cognoscendi, quàm perfectus est DEUS in ratione cognoscibilis; cum hic sit infinitus, illa finita: ergo. Dixi, DEUM non posse comprehendi comprehensione strictè dicta; nam illa latius dicta, quæ aliud non est, quàm cognitio talis, qua DEUS immediatè intuitivè cognoscitur, & intentionaliter possidetur, & à qua Beati in cælo vocantur *Comprehensores*, utique non implicat, quia defecto datur.

193. Præter hanc tamen latius dictam af-

signatur à quibusdam alia minùs strictè dicta, quæ vocatur extensiva, qua creatura cognoscere clare & distinctè omnia, quæ in DEO formaliter aut eminenter continentur, sed non ea perfectione, seu intensione, aut claritate, quæ esset commensurata eorum cognoscibilitati: quam tamen Suarez, P. Thyrsus, Amicus, Izquierdo, & alii negant esse veram comprehensionem; quia revera non adequat omnimodè cognoscibilitatem objecti. Communius etiam ista negatur creaturæ possibilis; unde etiam negatur ipsi Christo, de quo agendum tract. de incarnat. Et sanè S. Augustinus videtur impotentiam creaturæ ad DEUM comprehendendum referre in plenitudinem, seu multitudinem perfectionum, qua omnia transcendit; ita enim habet in *questionibus de Trinit. Plenam verò Divinitatis naturam, nec Angelus quilibet, nec Sanctorum aliquis perfecte intelligere poterit: ideo incomprehensibilis dicitur DEUS*.

194. Ob. 1. Omnis cognitio cognoscens DEUM cognoscit illum totum: sed etiam cognitio creata cognoscit DEUM: ergo cognoscit illum totum: ergo comprehendit. Resp. dist. ma. cognoscit totum, & totaliter, seu cognitione adequante ejus cognoscibilitatem, neg. ma. non totaliter, seu cognitione non adequante ejus cognoscibilitatem. conc. ma. & conc. min. sub priori distinctione conc. vel neg. primam, & absolute nego secundam conseq. DEUS etiam per cognitionem consusissimam, qua dico e. g. *Omne ens*, cognoscitur totus; quia indivisibilis est: sed non cognoscitur totaliter, seu cognitione commensurata ejus cognoscibilitati: sicut etiam per quemlibet amorem amatur totus, sed non totaliter, seu amore adequante ejus amabilitatem.

195. Dices. Ex eo, quod plus de objecto cognoscatur, etiam cognoscitur plus ipsum objectum: ergo etiam ex eo, quod totum objectum cognoscatur, cognoscitur objectum totaliter. Resp. om. ant. neg. conf. Plus cognosci objectum potest habere duplicem sensum. Primum quod una pars objecti successivè cognoscatur post alteram, qui sensus tantum locum habet in totis divisibilibus: & quidem verum est, quod, quod plures partes cognoscuntur, eò plus etiam totum, saltem materialiter acceptum, cognoscatur: sed hic sensus non venit ad rem; quia DEUS est indivisibilis. Secundò potest habere sensum, quod objectum, prius jam totum cognitum, clarius cognoscatur: & hic sensus non est universaliter verus; non enim verum est, quod, quando plures formalitates cognoscuntur, etiam objectum plus, seu clarius semper cognoscatur; nam cognitio, quæ dico: *Omne ens*, vel *omne cognoscibile*, cognoscit omnes formalitates, & omnia connotata; sed obscurissimè, & non totaliter, seu commensurate ad meritum objecti, etiam creati. Unde ex eo, quod omnes formalitates DEI, vel totus DEUS realiter cognoscatur, non sequitur, quod cognoscatur totaliter, seu cognitione adequante meritum ipsius, qualis esse deberet, quæ comprehensiva foret. In quo autem stet major claritas cognitionis, disputant Logici: & ii fortè optimè sentiunt, quid à posteriori desumendum dicunt, ajuntque, illam cognitionem esse clariorem, vi cuius ad plures quæstiones de objecto responderi potest.

196. Instabis: Capsa plumbea potest comprehendere aurum: ergo res comprehendens non debet esse tam perfecta, quam res comprehensa: ergo neque cognitio comprehensiva DEI debet esse tam perfecta, quam DEUS. Resp. dist. conf. non debet esse tam perfecta in linea comprehensionis. neg. conf. in linea alia. conc. primam, & nego secundam conf. Linea comprehensionis materialis est capacitas ad aliquid in se concludendum, quam utique habet plumbum respectu auri, si sat capax sit: & ad hanc comprehensionem nil facit perfectio alterius lineæ, vel speciei; nam aurea capsula, quantumvis multo perfectior plumbo, non poterit hoc comprehendere, si non sufficienter sit capax. Pariter cognitio comprehensiva non debet in omni linea esse tam perfecta, quam objectum; nam cognitio Angeli, utpote accidens, non est tam perfecta, quam anima rationalis, quam comprehendit: sed tantum debet esse tam perfecta in linea cognoscantis, quam perfectum est objectum in linea cognoscibilis: in qua tamen nulla cognitio potest DEO commensurari.

197. Ob. 2. Juxta nos nulla creatura posset comprehendere aliam: hoc est falsum: ergo. prob. ma. Qualibet creatura potest cognosci cognitione Divina: ergo si cognitio comprehensiva debet esse tam cognoscitiva, quam objectum est cognoscibile, nulla cognitio creata potest esse comprehensiva. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. ita, ut exigit ex merito suo cognitionem Divinam. neg. ant. ita, ut tantum passive ad illam se habeat. conc. ant. & dist. conf. si debet esse tam cognoscitiva, quam objectum est cognoscibile supra meritum suum, & tantum passive. conc. conf. si tantum debet esse tam cognoscitiva, quam objectum est cognoscibile ex merito suo. neg. conf. nam hoc secundum tantum requiritur ad cognitionem comprehensivam.

198. Ob. 3. DEUS semper potest magis & magis cognosci: ergo tandem omnino totaliter. Confir. 1. DEUS potest totaliter uniri creaturæ per unionem physicam: ergo etiam per unionem intentionalem, seu cognitionem, quod est comprehendendi. Confir. 2. Beati in celo cognoscunt cognitionem DEI, qua is seipsum comprehendit: ergo cognoscunt in ipsa DEUM comprehensive cognitum: ergo etiam ipsum comprehendunt. Resp. neg. conf. semper tamen creatura sistit infra lineam cognitionis comprehensivæ, sicut etiam amor DEI, si in infinitum syncategorematicè crescat, nunquam æqualis erit amabilitati Divinæ. Ad 1. confir. resp. neg. ant. quia DEUS absolute potest semper pluribus & pluribus, imò etiam semper perfectius physice uniri. Resp. 2. Si etiam antecedens posset probari, negaretur paritas & consequentia ob speciales rationes pro nostra conclusione. Ad 2. confir. dist. ant. cognoscunt eam cognitionem comprehensive. neg. ant. modo cognoscendi inferiore. conc. ant. & eodem modo dist. 1. consequ. & neg. absolute 2. dum. Ipsa cognitio comprehensiva DEI, utpote objectum Divinum & infinitè perfectum, adeoque infinitè cognoscibile, non potest adæquari ulla cognitione creata: consequenter nec objectum ab ea representatum. Fors posset moveri adhuc dubium, an eo

ipso comprehenderetur objectum cognitum, si comprehenderetur ejus cognitio comprehensiva: sed non est opus novam difficultatem, & questionem hinc movere.

ARTICULUS IV.

Quid videatur in DEO per visionem intuitivam, & an ipse per illam necessario videatur ut Trinus.

199. Dico. 1. DEUS defacto à Beatis videtur per visionem intuitivam, seu beatificam Trinus & Unus. Conclusio est de fide, & clarè definita à Florentino citat. n. 171. ubi Beati dicuntur *intueri clarè ipsum DEUM trinum, & unum*. Inferitur idem ex verbis Apostoli. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*. Ex quibus colligitur, visionem correspondere fidei, & ea clarè videnda, quæ nunc obscure creduntur: inter quæ primarium est mysterium SS. Trinitatis.

200. Dico 2. Defacto etiam videntur à Beatis omnes perfectiones primariæ DEI. Ita communissima, & certa. Per perfectiones autem primarias non malè intelliguntur illæ, quæ in suo conceptu formali dicunt specialem perfectionem simpliciter simplicem non contentam jam in alia perfectione magis universali: vel quæ constituunt Essentiam Divinam physice acceptam, quæque ex conceptu suo nullum dicunt respectum ad ullam rem creatam in particulari. Tales sunt immensitas, æternitas, simplicitas, omnipotentia, omniscientia, & similes. Hæc prædicata à Beatis videri inferitur 1. ex eo, quod videant Divinam essentiam clarè & apertè se illis ostendentem, ut habet Benedictus XI. cit. n. 172. ergo debent videre prædicata & perfectiones, non tantum sub aliquo conceptu confuso, sed claro, & distincto, seu distinguente perfectiones saltem primarias inter se. 2. probatur ex SS. Patribus. S. Augustinus. l. 20. de civ. DEI c. 21. ait. *Videbimus. Sed quid nisi DEUM & omnia, quæ nunc non videmus, credentes autem cogitamus*: hoc est, videbimus ea, quæ nunc credit Ecclesia, seu quæ docet fides: atqui fides docet prædicata primaria DEI, omnipotentiam, æternitatem &c. ergo. S. Nazianzenus orat. 11. de S. Gorgonia n. 27. sub finem loquens de Beatis, ait, quod inter ea, quibus fruuntur, sit etiam *supreme Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non jam vincam mentem, ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam se toti menti contemplandam & tenendam præbentis, totoque Divinitatis lumine animis nostris affulgentis*. Similia habet orat. 15. in plagam grandinis n. 30. seu ante medium. Quæ unque indicant, DEUM saltem quoad prædicata primaria videri. Accedit autoritas communissima Theologorum, quæ sola huic sententiæ ingens pondus faceret.

201. Dico 3. Beati vident etiam in DEO aliquas perfectiones secundarias: imò etiam aliquas terminationes contingentes, suppositâ sententiâ de adæquata identitate reali earum cum DEO, sed non omnes; nam inprimis, cum perfectiones secundariæ contineantur in primariis, jam satis cognoscuntur in istis, & nova ha-